





2b. 15





9.

# ORATIUNCULA

Super

PRÆMATURO EX HUMANIS ABITU  
BEATISSIMO IN COELUM REDITU

## JANULI-GEORGI DORNAVI,

Nobilissimi & Amplissimi

VIRI

## DN. CASPARIS DORNAVI,

MEDICINÆ DOCTORIS EXCELLENTISSIMI,

Illustrissimorū Principum & Ordinum Silesiæ

Consilarii & Oratoris Clarissimi &c. &c.

### FILIOLI,

Ut spe parentum antè, ita post desiderio tenelluli,

NOVÆ

PATIENTIÆ EXEMPLI,

ANN. MDCXX. IV. MART. NATI,

ANN. MDCXXI. VII. AUGUST. DENATI,

XII. AUG. Terrâ TECTI

FRANCOFURTI MARCHIONUM

ILLUSTRI CORONA IN FUNUS PRODEUNTE

ANTE ÆDES POLENIANAS

*Pro more*

*Dicta*

WOLGANGO CRELLIO SS. THEO.  
logiæ D. & Profefs. P.



*Typis Michaëlis Kochii exscripta.*



# AUGUSTINUS

*De libero Arbitrio lib. 3. c. 23.*

**D**E cruciatibus corporis quib. affliguntur parvuli, quorum per aetatem nulla peccata sunt, si animae, quibus animantur, non prius quam ipsi homines, esse ceperunt, major querela, & quasi misericors deponi solet, cum dicitur, Quid mali fecerunt, ut ista paterentur? Quasi possit esse innocentiae meritum, antequam quisquam aliquid nocere possit. Cum autem boni aliquid operatur DEUS in emendatione majorum, cum parvulorum suorum, qui eis chari sunt, doloribus ac mortibus flagellantur: cur ista non fiant? quando cum transierint, pro non factis erunt, in quibus facta sunt: propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati, rectius elegerint vivere: aut excusationem in futuri iudicii supplicio non habebunt, si vitae huius angoribus ad aeternam vitam desiderium convertere noluerint. Quis autem novit, quid PARVULIS, de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur: quis novit, quid ipsis PARVULIS in secreto iudiciorum suorum bona compensationis reservet DEUS? Qui quanquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes ista perpes-

si sunt.





EC IN AUDITA, NEC  
 minuta interrogatio est, Il-  
 lustrissimi & Cellissimi  
 Principis ac DOMINI,  
 DN. JOHANNIS CHRI-  
 STIANI, Ducis Silesiæ  
 Augusti, Principis Li-  
 gnio-Bregensis, &c. &c.  
 Domini mei Clementif-  
 simi;

Illustres Delegati, Heroës Generosi: *Ma-  
 gnifice* Dn. Vice-Rector; *Viri* Professoriâ digni-  
 tate, Senatoriâ auctoritate, publicâ laude & vir-  
 tute omnium Ordinum Clarissimi, Optimi: *Ju-  
 venes* Nobilitate Generis, Pietate & Studio flo-  
 rentissimi: *Nec otiosa, inquam, minutia, nec inau-  
 dita novitatis Interrogatio est, quam* PATRES pri-  
 oris ætatis, si vetustatem, & purioris si fidem, &  
 melioris, si vitam spectes, alii excitarunt, alii cir-  
 cumscripserunt; Cur sit, quod in vitâ DEO chara,  
 à morte DEUM visura: sæpè tamen in hac ipsâ  
 vitâ (a) Carnis afflictione, ANIMA crucietur  
 INFANTIS?

*Nam non solum allata est hæc Questio primùm ab  
 Hierio, Viro, Nysseni Optumi commendatione, Optu-  
 mo; sed ab eodem quoq; Gregorio Nysseno Episco-  
 po, (b) in eo quem de Infantibus, qui prematurè arri-  
 piuntur, habuit Sermonem decisa: Anno post Christum  
 natum supra Trecentessimum sexagesimo. Nec tantum  
 à Chrylostomo (c) Constantinop. Antistite, Anno sa-  
 lutis reparatæ Quadringentesimo quarto repetita: ve-  
 rum etiam Annis XX. & 1. post quadringentesimum*

[a] Augusti-  
 ng lib. 3. con-  
 tra Julian.  
 Pelagian. c.  
 4. tom. 7.

[b] Gregor.  
 Nyss. Tom. 2.  
 τῆς τοῦ πρὸ ἀ-  
 γασ ἀφ᾽ ἐπιτομῆς  
 ἰσχυρῶν.  
 m. pag. 749.

[c] Chryso-  
 st. lib. 1. de pro-  
 vid. cap. 8.

[d] August.  
 lib. 3. de Lib.  
 arbitrio c.  
 23. Tom. 1.



*ab Augustino excussa, discussa (d) & persoluta est. Cujus etiamnum nostro Tempore, & Fine & Senectute ultimo, quam anceps, quam frequens occurrat agitatio: prater copiosa mortalitatis Exempla, & anxia Parentum piorum, suas inter & suorum liberorum clades discurrentium, ratiocinia: hodierna Puelluli, recentis Hominis, justa funebria docent. Extulimus enim verò & condidimus Eheu sepulchro INFANTIS Anniculi JANULI GEORGI: Viri Nobil. & Amplissimi DN. CASPARIS DORNAYI, Medicinæ Doctoris Eruditissimi; Illustrissimorum Principum atque Ordinum Silesiæ Consiliarii, & Oratoris longè Clarissimi, Amici & Fautoris nostri honorandi: Filioli, dum viveret, elegantuli: Sed heu nimium morbillis: inde diarrhæâ, tum febre putridâ Hecticâ, deniq; macilentia ad sextam Hebdomadâ adsiecti, positas in mortem, exuvias! In quo dum cerneret Paternus Animus Miseriæ icona, σκελετὸν hominis, somnij σκηνώμα, & extremâ macie confecti Umbram corporis humani: qui potuit aliter, quàm causas miseriæ commentari secum; atq; in termino cogitationum, redeunte velut ad idem punctum ratiocinio, tanta calamitatis sensu commoveri? Quotus enim quisq; est Parentum ex Genere fideli atq; εὐσβέγων, qui si Puellum suam imaginem, non fari, (a) non ingredi, non vesci, breviterq; non aliud natura sponte quàm flere valentem, macie & morboniâ ita exhaustum videat: ut chordi in morem agni macerati & emaciati, vix hæreat inter pellem & ossa: prater gemitus, suspiria & complexus, illicò non exquirat & identidem interroget:*

[a] Plinius  
 Nat. hist. l. 7.  
 in præm.



get: Quamobrem recentissimus homo ab hoc  
lucis rudimento, ad vagitus & ploratum natus,  
carunculam in dolore, corpusculum in macie,  
animulam in labore verset: deniq; vitam ipsam à  
suppliciis auspiciatam, in aculeis ducat, conteratq; usq;  
in finem? Onus ex Puella, ita me CHRISTE, non  
puerile! Et Pondus hominis recentissimi, sed quod  
Sapiens in sese lacrymis imbuat; Natura nostri gene-  
ris, nos ad commiserationem invitante. Quam  
ουπηδισαυ Et Humanitatem Christiano detrahen-  
dam si quis de Collegio Stoicorum existimavit, aut  
indignas Sapiente (a) lacrymas censuerit: Eum ego  
cum Ceneo Pindari duriores, Et magis Talo Apol-  
lonii ferreum esse: tum Africanis, quod habet Lactan-  
tius, (b) Saturno flebiles Hostias immolantibus:  
aut, ut Elmenhorstius in Minutium scripsit, in ex-  
cavatis arboribus & vasis fictilibus infantulos  
proiicientibus (c) severiorem profecto judicari-  
nam, quid est per DEUM immortalem! Si Natu-  
ram Hominis, si Rationem Sapientis, si ευσοφιαυ  
Genitoris, rem teneram, consulas; nonne innocen-  
tis ætatulæ afflictio, Patriorum viscerum dolor  
& vulneratio est? Nonne durum illud telum, sua  
Pignora tam dilecta, tam chara capita, in dolore  
deplorato videre? durius, confusos atq; indistinctos  
gemitus innocentia audire? durissimum, spectacu-  
lo tam flebili, teneram carunculam mortuam senti-  
re: Capite obvoluto, facie velatâ, manibus liga-  
tis, pedibus devinctis tanquam in questione Et ton-  
mento?

Nec verò Ratio deest, quæ, si quis cogitet atten-

A 3.

tius,

[a] Calius  
Calcagnin.

in Orat. quod

Stoici magis

fab. dicant

quàm Pœt.

pag. 476.

[b] Lactant.

lib. 1. de fals.

Relig. c. 21.

Minutiq; Fe-

lix in Octa-

vio pag. 21.

[c] Gerbard.

Elmenhorst.

in comment.

ad Minut.

Fel. pag. L.



*...ius, animos Piorum vulneratos vulnerare amplius possit. Nam si Novellorum sancti tutelares Genii faciem assidue gratiosam & placatam Patris celestis contuentur: (a) si infantulis, quibus virii reatus non adscribitur, de Servatoris promissione Regni iura debentur: (b) Si parentum delicta illis post Baptismum Flaminis non imputantur: (c) qui nempè ad fœdus divinum pertinent ex gratia, antequam nascantur de natura: Luctuosam profecto eam cogitationum luctam esse, & collisionem oportet, dum ex sanctæ massæ primitiis, & radicis sanctificatæ ramulis (d) tenerrimis, illic; à natura adoptatis, hic; ab ira denudatis, alii inciduntur, alii distenduntur, alii deciduntur, franguntur & dissipantur. Quod nemo homine natus infitias ibit facile! Qui Davidem, pro salute filioli caput deoventem, seq̃ in solo & pulvere volutantem vidit: (e) qui Matrem illam, Salomoni dubiam, non dubiis affectibus, duras recens nati conditiones deprecantem audivit: (f) qui Suhnammitidis in Funere nati, mixtos precibus, amaros singultus, pedibus apprehensis coram Elisa projecta, legit (g): qui deniq̃ experimento didicit, quid sit ESSE PATREM. Quæ est ergo tandem causa tam moleste crucis? aut quæ ratio afflictionis hujus tam violenta, Electorum infantiam occupantis? ut si nos hæc cogitatio infestet, occurrere Interrogationi simul, & Calamitati queamus?*

[a] Matth. 18. 10. *...*  
 [b] Matth. 19. 14. *...*  
 Marc. 10. 14. *...*  
 [c] August. epist. 23. ad Bonifac. *...*  
 [d] Rom. 11. 16. *...*  
 [e] 2. Sam. 12. 16. *...*  
 [f] 1. Reg. 3. 26. *...*  
 [g] 2. Reg. 4. 27. *...*

[b] Plin. lib. 7. Nat. Hist. in proœm. *PLINIUS (b) qui ultra naturam non assurgit, naturam accusat, tanquam ea nõ sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior noverca fuerit.*  
 [i] Plato lib. 3. de Repub. *PLATO, (i) Ab animo, ait, hominis, omnes in ho-*





in hominem morbos descendere & venire: quod  
tamē locum in hac ætate non invenit, ubi in mox na-  
to morbus, animi usum, antevenit.

ARISTOTELES (a) intemperiem allegat hujus [a] Arist. in  
ætatis, intestinā eāq; alternā seditioe caloris & hu- problem.  
moris nunc exundantis, nunc deficientis: eōq; adeo mor- c c  
bis omnigenis circumseptæ & vallatæ; ut nemo facile c c  
infatiri, quo verbo utitur Tertullianus, aut regre- c c  
di in hoc vitæ spatium infantile cupiat. c c

HIPPOCRATES verò, Fons Medicorum & Pa-  
ter, quinque alias scrutinio commentus est morborum  
conciliatrices causas: nempe; Laborem ex uteri  
angustiis emergendi: Resectionem ligaminis  
umbilici; Aërem insuetum & noxium: Cibos  
varios: & Culcitra duriores: quemadmodum ab  
Hieronymo Mercuriali in fasciculum Oratione col- Hieronymus  
lectæ sunt: quas hodie Medicorum filii, (explosis Lami- Mercur. lib.  
arum incantationibus, deq; infami digito, & oculorum 1. de morb.  
fascino & animarum ante corpora existentium Pytha- infant. c. 16  
goricis fabellis) omnes saniores tuentur. Tametsi au-  
tem ea faciunt interdum ad rem rationes è natura pe-  
tita: Tamen cum experientia teste, sæpe sit in hoc eo-  
dem negotio Experientia fallax, Judicium diffici-  
le, Ratio particularis: sublimius utiq; ac rectius,  
meo iudicio, incedunt Christo dediti: qui animo à sensi-  
bus abducto, supra naturam evecto, DEUM naturæ  
Opificem, non solam peculiare Medicinas, sed &  
morbos proprios & demensum morborum infantia de-  
stimantem, certioribus ac nobilioribus rationibus cogi- Confer Ha-  
tant. Earum autem sunt quatuor: nempe, Aeter- gonem de S.  
num ac justum aeterni Senatusconsultum: Ori- Victor. Alle-  
ginale lib. 3. cap. 9.



ginale delictum: Atq; ut parentes cum invictæ  
patientia exemplum: tum fidei ac spei suæ pro-  
bandæ exercitium habeant, in recens matris utero  
editis. Quarum prima omnino Imperscrutabilis:  
Secunda Universalis: Tertia Communis: Quarta  
Singularis est. Singulas autē super his DEI judicium  
pensitare sui nominis pondere: nec est vulgaris opera,  
nec frigida consolatio. Enimvero prorsus ita ani-  
mum inducere oportet, dum π α δ ι ο υ ν α υ δ μ ε υ ο υ usurpa-  
mus oculis: quanquam Novelli hominis anima forin-  
secus ingressa non nosse seipsam: nec intelligentia  
veri naturam secernere à schemate falsi: nec volun-  
tas, carens merito, eligere bonum spreto malo: ne-  
dum, quid sit vivere, dum vivit, aestimare potest: U-  
trumq; nasci tamen & fieri, tam morbo affectū,

*Exod. 4. 11.* quàm rectè valentem, volente D E O. Nam, Quis  
statuere potest mutum aut surdum, aut sensibus  
valentem aut cœcum: nonne Ego, qui sum JEHO-  
VA, inquit ad Moysen JEHOVA? Quis morbo in-  
vadente sanum opprimere, nisi qui eundem solus libera-  
re Magister sanitatis & morbi, vitæ ac necis po-  
test? Qui omnes operatus est propter seipsum,  
sibi in gloriam, suis in salutem, justo consilio, at nobis  
abscondito: cujus causa digito semper haut monstrari  
possint: quemadmodum cupidissimus salutis suorum

*Johan. 9. 3.* Servator luculentissimè exposuit. Cum enim viso à  
Nativitate cœco Discipuli interrogarent dicentes:  
Rabbi, quis peccavit, Hic; an parentes ejus, ut  
cœcus nasceretur; Neque iste, ait J E S U S, pec-  
cavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur  
opera D E I in illo, Nec enim accipit ille injuriam  
propter



propter DEI gloriam, quem DEUS suae gloriae organon constituit in utramque partem: cui non esset, quod exoptularet, si eum omnino non produxisset ac formasset. (a) Obsecro verò, mi Homo, ediffere mihi, si potes, cur DEUS universam infantiam primi orbis Cataclysmo (b) deleteret? cur in Sodomâ & Gomorrhâ imbre ex sulphure & igne mixto, vix ex utero progressos, (c) exureret? Cur septem Gentium Cananæarum excidio destinatarum, foetus, & parvulos jugulare juberet? (d) Cur Pharaonem, populos infantium, suffocantem? Herodem bimulos & recentiores, Martyrum primitias, trucidantem (e) permetteret? Cur sit, quod legatur Daemon correptum filium ab infante tam graviter (f) divexasse? Aut quo merito tanta innocentia nonnunquam caeca, nonnunquam surda nascatur? Sæpè autem peculiari, quâ interiorum quâ exteriorum Catalogo morborum, enecetur: illinc curante ita Artificis providentiâ, hinc disponente judicis Justitiâ? Ædepol, non hîc Patris, non Matris, non Cognatorum aut Familiæ, nec ipsius ex utero prodeuntis, merita accusare satis est. Verùm DEI consilia oportet attendere: Qui ex ore INFANTIUM laudem, quod Vates cecinit, (g) nunc quidem Justitiæ, nunc autem Misericordiæ fundatam disposuit: Quo verbo ne quis ἀνάγκης & ἀπλυστέρας Prophetam dicere putaret: subjunxit & LACTENTIUM: τῆν προσθήκην τῆς τροφῆς τὴν ἡλικίαν χαρακτηρίζων, ut ait Chryso-  
 mus: (h) Ætatem cibi adjectione exprimens. Nos verò Abyssum ejus consilij multam dum attingimus, sed non penetramus: ἀρρητὸν γὰρ αἰτία ἐστὶ μόνον τῶν πει-

[a] Chrysof.  
in comment.  
super Joban.  
c. 9.

[b] Gen. 6.17.  
& 7. 23.

[c] Gen. 19.  
24. 25.

[d] Exod. 1.  
22.

[e] Matth. 2.  
16.

Jerem. 31. 15.

[f] Marc. 9.  
21.

[g] Psal. 83.

[h] Chrysof.  
Tom 2. in com-  
ment. ad Ps.  
8. m. p. 106.

B





τὸ πρῶτον ἠνῶς. *Quæsd:* ut rursus os aureum il-  
 lud: (a) potius gaudeamus nos non reperiendo consi-  
 lium invenire DEUM: quam non inveniendo DEUM,  
 scrutari consilium, & amittere Justitiam Dominum.  
 Jam autem si relictâ absconditâ Sapientiâ condi-  
 toris interrogemus communem massam perditionis;  
 quàm facile occurrit Originale delictum, tam sobrie  
 judicemus, non esse ullum quod inflixerit DEUS, in-  
 justum supplicium. Quid enim? Annon peccante  
 primo homine vitium inolevit pro natura; ex quo in-  
 habitat peccatum peccans in carne nostra? Nonne  
 quod Judæorum Rabbini in ore versant, FIGMEN-  
 TUM MALUM est ab excussione a ventre? & ob-  
 noxii sunt legi carnis, etiam qui non peccarunt, ad si-  
 militudinē transgressionis Adami? (b) Quod omnes  
 adversus Pelagium orthodoxi Patres, Majores nostri,  
 nosq; adeo ipsi uno ore, dum vitam ingredimur flen-  
 do, dum progredimur gemendo, dum egredimur su-  
 spirando testamur: illic miseriam prophetantes, ut  
 ait Augustinus: istic culpam dolentes: hic pœnant  
 deprecantes. Siquidem, Non est mundus coram  
 DEO; ne INFANS quidem, cujus unius est diei  
 vita super terram: nec est, qui mundum dare  
 possit de immundo conceptum semine. (c) E-  
 nimvero quando in iniquitate conceptus sum, inquit  
 de seipso Augustinus, & in peccatis me mater mea  
 abuit in utero; (d) ubi Domine, ubi & quando innocens  
 fui? Factabam membra & voces signa similia volunta-  
 tibus meis, pauca quæ poteram, qualia poteram: &  
 cum mihi non obtemperabatur, vel non intellecto, vel  
 ne obesset, indignabar, non subditis majoribus, & li-  
 beris.

[a] Idē lib. 1.  
 de Provid.  
 c. 8. m. p.  
 186.

LI.

Genes. 8. 21.

[b] Rom. 5.  
14.

August. lib.  
21. de Civit.  
Dei c. 14.

[c] Job. 14.  
4.

August. lib. 1.  
Confess. c. 6.  
& 7.

[d] Psal. 51.  
7.



beris non servientibus: Et me de illis flendo vindica-  
bam. Imò verò, vidi ego, inquit idē, Et expertus sum  
zelantem parvulum, qui nondum loquebatur, Et in-  
tuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum.

Imbecillitas igitur membrorum infantium inno-  
cens est, non animus infantium; suntq; innoxii infan-  
tes opere, ut loquitur Isidorus, non innoxii cogitati-  
one: Per quod secundo iusta confirmatur iudicis sen-  
tentia: Equum nimirum esse, ut bibant de poculo  
castigationis, quotquot in Adam comedere de  
arbore transgressionis: & hauriant in finem us-  
que afflictionem carnis, quotquot in origine ac-  
quieverunt noxietati voluptatis: Justus enim est  
Dominus Et iusta iudicia eius.

Præter hanc verò secundam tertia se ingerit cau-  
sa momenti non minoris, quam omnes quidem scire  
nos dicimus, cum necesse non est: at ubi opus fuerit  
fermè nescimus. Nam obliviscimur non raro, affli-  
ctionem primæ ætatis hominum, familiaris Patientiæ  
exemplū, Humilitatis invitamentum, Tolerantiæ  
hortamentum esse. Ut sit antea parvulos equanimita-  
te manum DEI tolerare videmus in delicto alie-  
no: pudeat nos viros factos obmurmurare prementi  
in delicto proprio. Caret parvulus usu voluntatis  
per fragilitatem corporis: Et non caret exquisitissimā  
sæpè molestiā carnis. Non valet explere opere, quem  
motum gerit mente: Et tamen transmittere cogitur  
à primordio ætatis sub pluribus calamitatibus pauca  
Et mala tempora peregrinationis. Quæ est igitur  
nostra intempestiva sub hujus Mundi exiliis impati-  
entia, ut obloqui velimus in tumore, emendari de alio-

Isidor. lib. 1.  
senten. 6. 15.

Psal 119. 137.

III.



rum exemplis nolimus in timore? Qui infantulis me-  
 liores non sumus: quibus etiam nisi similes fuerimus,  
 deficiente malitiâ, proficiente sanctimoniâ, non gaude-  
 [a] Marc. 10. bimus Regni cœlestis consortio & hereditate. (a) Er-  
 15. gò benè habet, ista si fiant de viridi ligno, ut quæ pro  
 meritis majoribus fieri debuerint in arido, hoc est, in  
 nobis cogitemus & corrigamus. Ego parentes  
 Chrysof. de ipsos etiam, inquit Chrysofostomus, & fratres & pro-  
 Provid. lib. pinquos hujusmodi liberorum cladibus emen-  
 1. c. 8. pag. dados novi. Id enim non minimi lucri est, ita  
 186. quempiam affligi, ut ex his, quæ nesciens pati-  
 tur, alius MAXIMA EMOLUMENTA conse-  
 quatur. Postremò hoc profunt timentibus DEI ex-  
 IV. empla talia, ut fides in adversis probata, crescat: spes  
 Isidor. lib. 1. in arduis firmata, incrementum capiat: ut ablato pec-  
 sent. c. 24. cati reatu, & manente temporali cruciatu, illa vita,  
 ferventius requiratur, quæ erit à poenis omnibus  
 aliena: Deniq; ut animus in promissionem recumbens,  
 discat in spe latari, & quod Apostolus monet, in affli-  
 [b] Rom. 5. ctione etiam gaudere. (b)  
 3. Non obest SANC TORUM parentum puellulis:  
 (civili lege, & Ecclesia jure) & adoptione in fœdus  
 sanctis: sive tenelli feris & avibus immanitate gen-  
 tium, exponantur: sive anniculi in sacris Cataphry-  
 Epiphani. hæ- gum, Peputianorum & Quintillianorum super-  
 res. 26. stitione jugulentur: sive adstrangulati misero mortis  
 Augustin. de genere elidantur: sive à marinis fluctibus absorpti, à  
 heresib. c. 26. & 27. monstris rapiantur: sive in mortario pistillis contusi,  
 pipere & melle, Gnosticorum infandâ libidine, con-  
 Minut. Felix diantur: quo furore execrabili Sathanas olim se vix  
 in Octa pag. inter suos, & sine pudore Christianis tanta infanti-  
 6. & 21. cidia



vidua imputare solitus est: *Haut, inquam, obest, quis*  
*Christi sanguine parta, ex gratia promissam, ex re-*  
*generatione applicatam, in Baptismo obsignatam,*  
*in morte inchoatam SALUTIS VITAM conse-*  
*quantur. Quanto minus ergo oberit illis morbus, qui*  
*per mortem sunt cito consummandi: si per manum*  
*DEI, tanquam Recentes manus DEI, Cypriano*  
*monente, castigentur. Is enim ipse INFANTIAE*  
*custos, parvulorum amator, puellorum tutor,*  
*calamitatum librator, omnibus suis aequalitate li-*  
*brata prebet se patrem: Et quem diligit, castigat:*  
*quemq; ad se de mundo vocat, per morbos mundum im-*  
*mundum contempnere facit: cuius iudicium a domo*  
*propria incipit, sed in gaudium felicissime desinit, Et*  
*eruditionem suorum. Novimus enim, inquit Apo-*  
*stolus, ijs, qui diligunt DEUM, omnia simul ad-*  
*jumento esse ad bonum: Omnia, inquit: non so-*  
*lum illa, que appetuntur ut suavia, sed Et que viden-*  
*tur molesta, Et vitantur ut tristia: quando alia sic*  
*sumimus, ne capiamur: alia sic ferimus, ne franga-*  
*mur.*

Cypriano E-  
pist. 59.

Heb. 12. 5.

Apoc. 3. 19.

1. Pet. 4. 17.

Rom. 8. 28.

Ergo hæc illa tandem fuerunt cause, Nobil. juxta  
ac Amplissime Dn. DORNANI, quas propter  
Domino placuisse vides, ut quem JANULUM-GE-  
ORGILUM, Tuum delictum, IV. Marti superioris  
Anni Bethania ediderat, quem mater nobilissima,  
ELISABETHA GLICHIA, Nobiliss. &  
Amplissimi Viri Dn. JOHANNIS GLICHI à  
MILZITZ, Hæreditarii in SERCHAU, NEU-  
DORFF, & FLORSORFF, Consulis quondam  
Reipubl. GORLIGENSIS, nunc emeriti, rudeq; do-

B 3

nati,





mati, Filia, decus Matronarum, tulerat: quemq; annu-  
culū non corde tantum, sed prece, & spe magnā animus  
Tuus, etati longiori voverat: hunc inquā altero anno  
morbillis affectum, mox febre confectum, & ene-  
ctum macie, VII. Augusti, insigni patientia spectacu-  
lo, videres: in Agro Academico humares; & tanquā  
cum Jacobo juxta VIAM PEREGRINATIONIS,  
monumento EXILII erecto si non Rachelem, at cer-  
te Benjaminum sepelires.

Justum factum! quoniam à Domino factum: quod nisi justum esset, à justo non esset! Nunc cum me  
tacente etiam noris, Infantiam mortuam esse, su-  
perstite infante & vivente: non pergam erectum,  
erigere, dicam, an onerare. Tenes enim verò & reti-  
nes eos, qui in Christo moriuntur, non mori, sed in  
DEO regenerari: apud quem rerum omnium instā-  
bilitum stant causa, & rerum omnium mutabilium im-  
mutabiles manēt origines, omniumq; adeò mortalium,  
maxime Sanctorum, immortales vivunt rationes.

Illi Viventium DEO, admirando in Sanctis  
Matt. 22. 32. suis, omnia FACIENTI BENE, Sapiencia &  
Psal. 68. 36. Benedictio! Illi, Laus & Gratiarum actio: hortante  
Marc. 7. 37. ita Psalmographo, & praevis exemplo nos velut insti-  
gante, ut singuli geminemus animo, quod ille impressit  
Psal. 34. scripto, dicens: Benedicam Dominum omni tempore:  
2. Laus ejus semper in ore meo.

Vobis autem, Illustrissimi atq; Augustissimi  
Ducis Delegati, Viri Illustres & Generosi, Proce-  
res Academici, Senatores & Cives omnium Or-  
dinum optimi: Juvenes genere, arte, virtute  
macti; Vobis, inquam, benemerentibus gratia debentur



tur merito de tantâ humanitate maxima: quâ Filio-  
lo desideratissimo honoras exsequias ire; & Patri, o-  
mni literarum genere, scriptis publicis, legationibus il-  
lustribus, & egregiis in Rempubl. universam meritis  
clarissimo, benevolentiam approbare: & Familiæ toti  
DORNAVIANÆ ac GLICHIANÆ honorem in  
doloire habere, luctumq; levare, quod fuit in vobis, fre-  
quentissimo hoc dicam an illustri circulo, gratiosè & a-  
manter voluistis.

Non deërit Vir Clariss. D. DORNAVIUS, ad  
gratiam & humanitatem natus, amoris, honori, offi-  
cys vestris: quamq; benè collocastis præsentia, alloquij,  
sermonum & solaty gratiam, cum DEO & tempore,  
utinam latiore, referet! Interea precatur mea voce,  
geminato corde, animitus, ut omnes secum hæc funera  
infantia contuentes, DEI consilia admiranda disca-  
mus: gratiam in puerulis, probationem in fratri-  
bus & conservis, iudicia in nobis, ut par est, æstime-  
mus: vitam ante vesperam emendemus: peccandi li-  
bidinem ante, quam nos ipsa deserat, deseramus; Ma-  
litiâ; non intelligentiâ infantes simus: deniq; sarcinas  
hujus vitæ mature colligamus: ut cum vel nos vel no-  
stros in medio dierum lethali plagâ vocari videmus,  
Providentiâ meliori exuperantiam vitiorum,  
prohibente DEO: mente intelligamus memori, quod  
divinissimè Cyprianus scripsit: DEUM non  
quærere sanguinem nostrum,  
sed fidem.

D I X I.



Greg. Nyssen-  
nus Tom. 2.  
de Infantib.  
qui premat.  
arripiuntur,  
pag. 770.  
Cyprianus de  
mortalitat.  
pag. 299.







*Ja 666*

ULB Halle 3  
002 177 021



*5b-700*

*Von 7*

*MC*









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



NCULA  
MANIS ABITU  
ELUM REDITU  
EORGI  
VI,  
mplissimi  
DORNAVI,  
EXCELLENTISSIMI,  
& Ordinum Silesiæ  
arissimi &c. &c.  
I,  
desiderio tenelluli,  
EMPLI,  
MART. NATI,  
AUGUST. DENATI,  
AUG. Terrâ TECTI  
ARCHIONUM  
NUS PRODEUNTE  
ENIANAS  
LIO SS. THEO.  
efs. P.  
bi exscripta.

29.